

Nf. 24.



2. D. B. V.

AD SOLEMNEM
AVGVSTANAE
CONFESSIONIS

EIVSQVE
APOLOGIAE REPETITIONEM.

PER DISPVTATIONES ACADEMICAS

A XVI. SELECTIS COMMILITONIBVS
HABENDAS,

AVDITORES ET FAVTORES,

QVIBVSCVNQVE ADESSE LVBERIT,

HVMANITER ET OFFICIOSE

INVITAT

D. IO. HENR. MICHAELIS,

S. Theol. item Gr. & OO. Lingg. P. P. Ord.

HALAE MAGDEBVRGICAE.

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typ.



AD SOLENNIUM
AVGVSTINAE
CONFESSIOIS

APPOLOGIA REPERTITIONEM



JOHANNES HENRICH HALLIS

LEIPZIG





Postquam abhinc biennium & ultra
Serenissimus ac Potentissimus Porus-
sia Rex, FRIDERICVS WILHEL-
MVS, Dominus noster longe clemen-
tissimus, inter alia sapienter consti-
tuit, vt studiosi iuuenes, qui re-
giis beneficiis in hac academia fruuntur, non fo-
lum in auscultandis lectionibus, publicis praesertim,
adsiduitatem & frequentiam Professoribus proba-
rent, sed etiam disputationibus & specimenibus, cum
elaborando, tum respondendo, vel saltem oppo-
nendo, quam spem reipublicae & ecclesiae faciant,
publice ostenderent; variae, nec vnus generis ex-
ercitationes disputatoriae institutae sunt: quemad-
modum illud tum editae dissertationes, tum pro-
grammata & typis exscriptae schedae comprobant.
Quia tamen pluribus difficultatibus sufflaminatum
est praeclarum institutum, nouo mandato regio nu-
) (2 per

per iniunctum nobis clementissime est, vt illud omni modo foueamus & conseruemus.

Ea igitur occasione ex meis etiam auditoribus permoti quidam Viri Iuuenes eximii ac praestantes consilium ceperunt, vt *Augustanam Confessionem eiusque apologiam*, superiore aestate expositam, hac hieme per amicas disputationes more academico recognoscerent, & ὑποτύπωσιν illam ὑγιεινόντων λόγων, ἐν πίσει καὶ ἀγάπῃ, τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, siue breuem *formam* & institutionem sanorum verborum de fide & caritate in Christo, a piis Confessoribus Augustae Vindelicorum fortiter olim adsertam, simulque sinceram *fidei analogiam*, mentibus suis altius imprimerent, & firmiter memoria tenerent.

Et merito quidem ita institutum ab illis fuit: non enim vlla ex parte erubescimus doctrinam Augustanae Confessionis: siquidem, quod Paulus de euangelio DEI predicat, etiam de Augustanae confessionis doctrina euangelica verum est, quod ex ea eluceat virtus & potentia Dei ad salutem omni credenti. *Iustitia enim Dei ex ea manifestatur ex fide, ad fidem Rom. I, 16, 17.* ita vt *analogia fidei*, ab Apostolo Rom. XII, 6. commendata, simulque forma sanorum verborum, adeoque breuis totius Christianae doctrinae adumbratio, ex Augustana confessione eiusque apologia, ceterisque ecclesiae nostrae libris symbolicis, tutius atque sincerius, quam forte aliunde ex humano scripto, hauriri possit.

Neque

Neque tamen sic Augustanam confessionem,
vel reliquos libros nostros symbolicos, nimis extolli-
mus, aut scriptis prophetis & apostolicis prorsus ae-
quiparamus. Sunt enim libri isti, respectu scriptu-
rae sacrae, non ipsa norma, sed normati: vt ipsi edi-
tores Formulae Concordiae non solum in titulo
Lips edit. & in praefatione sua monuerunt, sed etiam
ex instituto in Epitome F. C. p. 570. seq. disertis ver-
bis docent: „Credimus, inquit, confitemur & do-
„cemus, vnicam regulam & normam, secundum
„quam omnia dogmata, omnesque doctores aesti-
„mari & iudicari oporteat, nullam omnino aliam es-
„se, quam prophetica & apostolica scripta, cum vete-
„ris, tum noui testamenti, sicut scriptum est: *Lucer-*
„*na est pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis,*
„Pc. CXIX, 105. & diuus Paulus inquit; *Etiamsi ange-*
„*lus de caelo aliud praedicet euangelium, anathema sit.*
„Gal. I, 8.

„Reliqua vero siue patrum, siue neotericorum
„scripta, quocunque veniant nomine, sacris litteris
„nequaquam sunt equiparanda; sed vniuersa illis
„ita subiicienda sunt, vt alia ratione non recipiantur,
„nisi testium loco, qui doceant, quod etiam post apo-
„stolorum tempora, & in quibus partibus orbis, do-
„ctrina illa prophetarum & apostolorum sincerior
„conseruata sit.

„Et quia statim post Apostolorum tempora, im-

„mo etiam cum adhuc superstites essent, falsi doctores
„& haeretici exorti sunt, contra quos in primitiua ec-
„clesia *symbola* sunt composita, id est, *breues & ca-*
„*tegoricae confessiones*, quae vnanimem catholicae
„Christianae fidei consentum, & confessionem or-
„thodoxorum & verae ecclesiae complectebantur,
„(vt *symbolum Apostolicum, Nicenum, & Athanasi-*
„*anum*) profiteremur publice, nos illa amplecti; &
„reiciimus omnes haereses, omniaque dogmata,
„quae contra illorum sententiam vniquam in ec-
„clesiam Dei sunt inuecta. cet.

Et in solida declar. Form. Conc. p.633, ed. Lipsf.
„Deinde, cum postremis hisce temporibus DEVS
„optimus maximus summa clementia puritatem
„verbi sui e tenebris horrendis & plusquam Cimme-
„riis, quibus sub Papatu oppressa fuerat, fideli opera
„praestantissimi Viri, *D. Lutberi*, viri DEI, rursus in lu-
„cem produxerit, quae sincera doctrina non modo
„contra Papatum, sed etiam aduersus aliarum secta-
„rum corruptelas e verbo Dei in articulos & capita
„Augustanae Confessionis digesta est; etiam *Augu-*
„*stanam, primam illam & non mutatam confessionem*
„amplectimur: *Idque non ea de causa facimus, quod*
„*a nostris Theologis sit conscripta; sed quia e verbo Do-*
„*mini est desumpta, & ex fundamentis sacrarum litte-*
„*rarum solide exstructa.*” Hactenus ipsi libri nostri
symbolici. Addimus paucis: Quemadmodum A-
postol-

postolus breuiter ait 2 Cor. IV, 13. Ἐπίστευτα, διὸ ἐλάλησα
ἐδὲν ἐπιτὸς λέγων, ὅν τε οἱ προφήται ἐλάλησαν, μελλόντων γίνεσθαι,
καὶ Μωσῆς Ἀέτ. XXVI, 22. Ita & nos credimus, verbo
diuino conformem omnino esse Augustanæ Con-
fessionis etiam & librorum nostrorum symbolico-
rum sententiam, idque ingenue profitemur; καὶ ἐδὲν
ἄτερ γραφῆς λέγομεν quod *Petrum Apostolum* dixisse, *Cle-
mens Alexandrinus* Stromat. libr. VI. p. 678. refert.
Scrupuli enim, qui circa ἐρμηνείαν nonnullorum scri-
pturae dictorum nonnunquam occurrunt, ad ali-
am quaestionem spectant, nec veritatem doctrinae
labefactant, vel euertere possunt.

Vt propius vero constet de his, qui sedecim
numero, commilitonibus suis in hac palaestra lauda-
bili exemplo praeire voluerunt, en nomina eorum,
sec. ordinem alphabeticum, citra vllum aetatis
vel eruditionis praeiudicium.

I. Martinus Christophorus Gerhardus *Chrysan-
der*,
Göddeckenroda Halberst.

II. Ioannes Gottlieb *Doeb-
ling*, Pustamino Pomer.

III. Ioannes *Eisdorffer*, Eperiensis Hungarus.

IV. Ioannes Ludouicus *Kortum*, Hatinga Guestph.

V. Ioannes Hilmar August *Laue*, Gehrda Magdeb.

VI. Ioannes Godofredus *Laue*, Rugenvald. Pomer.

VII. Christianus Ernestus *Lisco*, Stargard. Pomer.

VIII. Fridericus Bernhardus *Meier*, Magdeburgens.

IX. Ioan. Ioachim *Münch*, Obisfeld. Magdeb.

X. Ioan.

- X. Ioannes Pomian *Pesarouius*, Leba Pomer.
 XI. Ioannes Friedericus *Rahn*, Stolpa Pomer.
 XII. Christianus Fridericus *Sadevasser*, Zachan,
 Pomer.
 XIII. Ioan. Leopoldus *Solbrig*, Hindenburg. Pal.
 March.
 XIV. Ioachimus Henricus *Strabl*, Wollin. Pomer.
 XV. Ioannes Daniel *Weise*, Neo-Sedin. Pomer.
 XVI. Wolfgang Reinhard *Wilda*, Weferlinga
 Halberstad.

Initium huius exercitationis fiet die VII. Decembris hora ad meridiem XI. singulisque hebdomadibus sine interruptione continuabitur, si modo benignissimus DEVS per gratiam suam afflictissimam sub ingrauescente senectute valetudinem corporis mei sustentare & confirmare voluerit.

Ita autem disputabunt, vt per horam vni respondentem semper duo obiiciant opposites, *ἀνευ προμίσσεως καὶ παύσεως*, sine verbosiori prae loquio, quod plus temporis, quam datum nobis nunc est, deposceret. Faxit DEVS, vt omnia sub gratia ipsius feliciter fiant, & in gloriam sanctissimi Numinis, quod per CHRISTVM dominum nostrum deuote precamur. Omnes autem, qui ex ciuibus nostris Commilitionibus, amice decertantibus, adesse possunt & volunt, etiam atque etiam officiose & humaniter inuitamus. P. P. die I. Decemb. clc cccxxxvii.

Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78





Q. D.
AD SOLI
AVGVVS
CONFES

EIVS
APOLOGIAE R
PER DISPVTATIO
A XVI. SELECTIS
HABE

AVDITORES E
QVIBVSCVNQVE
HVMANITER
INVI

D. IO. HENR.

S. Theol. item Gr. & C

HALAE MAG
Typis IOANNIS CHRISTIAN



Farbkarte #13

B.I.G.



24
E

